

PROPRIUM MISSARUM DIECESEOS VERONENSIS

FESTA DECEMBRIS

Die 2 Decembris

Pro Commemoratione

S. LUPI Ep. Veron. et Conf.

Orationes ex Missa Státuit, de
Communi Confessoris Pontificis
1 loco.

Die 9 Decembris

In Ordinatione

S. ZENONIS Episc. Veron.

Missa Sacerdótes tui, de Com-
muni Conf. Pontificis 2 loco, cum
Orationibus ut infra:

Oratio

D eus, qui es tuorum Antisti-
tum magníficus illustrátor:
tribue, quæsumus; ut sancti
Confessóris et Epíscopi Zenónis
exémplis informáti, ac précibus
adjúti, a cunctis æternæ salútis
nostræ periculis liberémur. Per
Dóminum.

Et fit Com. Oct. Concept. imm.
B. M. V. ac Feriæ.
Credo.

Secreta

M ajestátem tuam, Dómine, hu-
míliter exorámus: ut, per
hæc sancta, quæ offérimus, in-
tercedénte sancto Pontifice Ze-
nóne, gratiæ tuæ dona super
nos benignus effúndas. Per Dó-
minum.

P ræf. de B. M. V. Et te in
Conceptione immaculata, ratione
Octavæ.

Postcommunio

C oncéde, quæsumus, omnipo-
tens et misericors Deus: ut
sancti Antistititis tui Zenónis præ-
clára exémpla sectántes, æter-
næ ejus gloriæ mereámur esse
partícipes. Per Dóminum no-
strum.

Die 10 Decembris
IN TRANSLATIONE
ALMÆ DOMUS B. MARIAE V.

Missa Terribilis est locus, quæ
habetur inter Missas pro aliqui-
bus locis.

Et fit Com. Feriæ, ut in Propri-
de Temp.

Deinde Com. S. Melchiadis Papæ et Mart. ut in Proprio Ss. Univ. Eccl. hac ipsa die.

Die 30 Decembris

Pro Commemoratione

S. CRICINI Ep. Veron. et Conf.

Orationes ex Missa Sacerdótes tui, de Communi Confessoris Pontificis 2 loco.

FESTA JANUARII

Die 7 Januarii

Pro Commemoratione

S. SENATORIS Ep. Veron. et Conf.

Orationes ex Missa Státuit, de Communi Confessoris Pontificis 1 loco.

Die 12 Januarii

Pro Commemoratione

S. PROBI Ep. Veron. et Conf.

Orationes ex Missa Sacerdótes tui, de Communi Confessoris Pontificis 2 loco.

Die 19 Januarii

S. FACII Confessoris

Introitus Isai. 58, 7

Erange esuriénti panem tuum,
et egéños vagósque induc
in domum tuam: cum videris

nudum óperi eum, et carnem tuam ne despéxeris.

Ps. 40, 1 Beátus qui intelli-
git super egénūm et páuperem:
in die mala liberábit eum Dó-
minus. **Y.** Glória Patri.

Oratio

Omnipotens sempitérne Deus,
qui in tuæ caritatis exém-
plum beátum Fácium Confessó-
rem tuum bene ómnibus fáceré
docuisti: concéde propitius: ut,
ejúsdem vestigiis júgiter inhæ-
réntes, parátum bene faciéntibus
regnum possidére mereámur.
Per Dóminum.

Et fit Com. Ss. Marii, Marthæ,
Audifacis et Abachum Mm.

Oratio

Exáudi, Dómine, pópulum
tuum cum Sanctórum tuó-
rum patrocinio supplicántem: ut
et temporális vitæ nos tribuas
pace gaudére, et ætérnæ repe-
rire subsidium.

Deinde Com. S. Canuti Reg.,
Mart.

Oratio

Deus, qui ad illustrándam Ec-
clésiam tuam beátum Canú-
tum regem martyrii palma et
gloriósis miráculis decoráre di-
gnátus es: concéde propitius;
ut, sicut ipse Dominicæ passió-
nis imitátor fuit, ita nos per
ejus vestigia gradiéntes, ad gáu-
dia sempitérana pervenire me-
reámur. Per eúmdem Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccl. 12, 1-7 et 14, 11-17

Si beneféceris, scito cui féceris, et erit grátia in bonis tuis multa. Bénefac justo et invénies retributióñem magnam: et si nón ab ipso, certe a Dómino. Non est enim ei benie qui assíduus est in malis, et eleemósynas non danti, quóniam et Altissimus ódio habet peccatóres, et misértus est pœniténtibus. Da misericórdi, ét ne suscípias peccatórem: et impiis et peccatóribus reddet vindictam, custódiens eos in diem vindictæ. Da bono, et non recéperis peccatórem. Bénefac húmili et non déderis ímpio: próhibe panes illi dari, ne in ipsis poténtior te sit: nam duplia mala invénies in ómnibus bonis, quæcúmque féceris illi: quóniam et Altissimus ódio habet peccatóres, et impiis reddet vindictam. Fili, si habes, bénefac tecum; et Deo dignas oblationes offer. Memor esto, quóniam mors non tardat, et testaméntum inferórum quia demonstrátum est tibi; testaméntum enim hujus mundi morte moriétur. Ante mortem bénefac amico tuo, et secúndum vires tuas expórrigens da páuperi. Non defraudéris a die bono, et particula boni doni non te prætéreat. Nonne áliis relinques dolóres et labóres tuos in divisione

sortis? Da, et áccipe, et justifica ániam tuam. Ante óbitum tuum operáre justitiam: quóniam non est apud inferos invenire cibum.

Graduale Tob. 4, 9 Si multum tibi fúerit, abundánter tribue: si exiguum tibi fúerit, étiam exiguum libénter impertíri stude. y. Ibid. 10 Præmium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis.

Allelúja, allelúja. y. Ibid., 11 Quóniam eleemósyna ab omni peccáto et a morte liberat, et non patiétur ániam ire in ténebras. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur:

Tractus y. Ibid., 11 Quóniam eleemósyna ab omni peccáto et a morte liberat, et non patiétur ániam ire in ténebras. y. Ibid., 7 Ex substántia tua fac eleemósynam, et noli avértere fáciem tuam ab ullo páupere: ita enim fiet, ut nec a te avertátur fácies Dómini. y. Ibid., 8 Quómodo potúeris, ita esto misericors.

 Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.

 Luc. 10, 25-37

In illo témpore: Quidam Légisperitus surréxit tentans Jesum et dicens: Magister, quid faciendo vitam ætérnam possi-

débo? At ille dixit ad eum: In lege quid scriptum est? quómodo legis? Ille respóndens dixit: Diliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota ánima tua, et ex ómnibus viribus tuis, et ex omni mente tua: et próximum tuum sicut te ipsum. Dixitque illi: Recte respondisti: hoc fac, et vives. Ille autem volens justificáre se ipsum dixit ad Jesum: Et quis est meus próximus? Suscipiens autem Jesus dixit: Homo qui-dam descendébat ab Jerúsalem in Jéricho, et incidit in latrónes, qui étiam despoliavérunt eum: et plagis impósitis abiérunt, semivivo relicto. Accidit autem, ut sacérdos quidam descénderet eádem via, et, viso illo, præter-ivit. Similiter et levíta, cum esset secus locum et vidéret eum, pertránsiit. Samaritánus autem quidam iter fáciens venit secus eum, et videns eum misericórdia motus est. Et apprópians alligávit vúlnera ejus, infundens óleum et vinum: et impónens illum in juméntum suum, duxit in stábulum, et curam ejus egit. Et áltera die protulit duos denários, et dedit stabulário, et ait: Curam illius habe: et quodeúmque supererogáveris, ego cum rediero reddam tibi. Quis horum trium vidétur tibi próximus fuisse illi qui in-

cidit in latrónes? At ille dixit: Qui fecit misericórdiam in illum. Et ait illi Jesus: Vade, et tu fac simíliter.

Offertorium Eccli. 14, 11 Fili, si habes, bénefac tecum, et Deo dignas oblationes offer.

Secreta

Illo nos amóris igne, quæsumus, Dómine, hæc hóstia salutáris inflámmet, qui cor beáti Fáci Confessóris tui vehémenter accéndit. Per Dóminum.

Pro Ss. Mario et Sociis

Secreta

Preces, Dómine, tuórum réspice, oblationésque fidélium: ut et tibi gratæ sint pro tuórum festivitaté Sanctórum, et nobis cónferant tuæ propitiatiónis auxilium.

Pro S. Canuto Secreta

Accépta sit in conspéctu tuo, Dómine, nostra devótio: et ejus nobis fiat supplicatione salutáris, pro cuius solemnitaté defértur. Per Dóminum.

Communio Eccli. 7, 39 Non te pígeat visitare infirmum: ex his enim in dilectione firmáberis.

Postcommunio

Caeléstis panis virtúte satiáti, quæsumus, Dómine Deus noster: ut in nobis caritatis tuæ dona multíplices; et, beáti Fáci Confessóris exémplo terrénum panem mínimis tuis ministrántes, cælesti convívio perpétuo

accúmbere mereámur. Per Dóminum.

**Pro Ss. Mario et Sociis
Postcommunio**

Sanctórum tuórum, Dómine, intercessióne placátus: præsta, quæsumus; ut, quæ temporáli celebrámus actíone, perpetua salvatióne capiámus.

Pro S. Canuto Postcommunio

Refécti participatióne múnéris sacri, quæsumus, Dómine Deus noster: ut, cujus exséquimur cultum, intercedénte beáto Canúto, Mártyre tuo, sentiámus efféctum. Per Dóminum.

Die 28 Januarii

**B. ANDREÆ A PISCARIA
Conf. Veron.**

Introitus Ps. 36, 30-31

Bos justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquéatur judicium: lex Dei ejus in corde ipsius. Ps. ibid., 1 Noli æmulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem.
v. Glória Patri.

Oratio

Dómine Jesu Christe, qui beátum Andréam Confessórem tuum apostólico spiritu decorásti: fac nos ejus imitatióne ita verbo et exémplo proficere; ut úberem fructum inde reférre valéamus: Qui vivis et regnas.

Et fit Com. S. Agnetis Virg. et Mart. secundo.

Oratio

Deus, qui nos ánnua beátæ Agnétis Virginis et Mártyris tuæ solemnitaté lætificas: da, quæsumus; ut, quam venerámur officio, étiam piæ conversatiónis sequámur exémplo. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eceli. 31, 8-11

Béatus vir, qui invéntus est sine mácula, et qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia et thesáuris. Quis est hic, et laudábimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua. Qui probátus est in illo, et perféctus est, erit illi glória ætéerna: qui pótuit tránsgressus: fácerem mala, et non fecit: ideo stabilita sunt bona illius in Dómino, et eleemosynas illius enarrábit omnis ecclésia sanetórum.

Graduale Ps. 91, 13 et 14
Justus ut palma florébit: sicut cedrus Libani multiplicábitur in domo Dómini. v. Ibid., 3 Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem.

Allelúja, allelúja. v. Jac. 1, 12
Beátus vir, qui suffert tentatióinem: quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ.
Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur :

Tractus Ps. 111, 1-3 Beatus vir, qui timet Dóminum : in mandatis ejus cupit nimis. ¶ Potens in terra erit semen ejus: generatio rectórum benedicétur. ¶ Glória et divitiæ in domo ejus: et justitia ejus manet in sæculum sæculi.



Sequentia sancti Evangélii secundum Lucam.

Luc. 10, 1-9

In illo tempore: Designávit Dóminus et álios septuaginta duos: et misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus. Et dicébat illis: Messis quidem multa, operárii autem pauci. Rogáte ergo Dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Ite: ecce, ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolite portare sáeculum, neque peram, neque calceaménta; et néminem per viam salutavéritis. In quamcúmque domum intravéritis, primum dícite: Pax huic dómui: et si ibi fúerit filius pacis, requiéscet super illum pax vestra: sin autem, ad vos revertétur. In eádem autem domo manéte, edéntes, et bibéntes quæ apud illos sunt: dignus est enim operárius mercéde sua.

Nolite transire de domo in domum. Et in quamcúmque civitatem intravéritis, et suscéperint vos, manducáte quæ apponúntur vobis: et curáte infirmos, qui in illa sunt, et dícite illis: Appropinquávit in vos regnum Dei.

Offertorium Ps. 88, 25 Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso: et in nōmine meo exaltabitur cornu ejus.

Secreta

Laudis tibi, Dómine, hóstias immolámus in tuórum commemoratione sanctórum: quibus nos et præsentibus éxui malis confidimus, et futúris. Per Dóminum.

Pro S. Agnete secundo Secreta

Super has, quæsumus, Dómine, hóstias benedictio copiosa descéndat: quæ et sanctificatió nem nobis cleménter operétur, et de Mártyrum nos solemnité laetificet. Per Dóminum nostrum.

Communio Matth. 24, 46-47 Beatus servus, quem, cum vénérerit dóminus, invénerit vigilátem: amen dico vobis, super ómnia bona sua constituet eum.

Postcommunio

Refécti cibo, potúque cælesti, Deus noster, te súpplices exorámus: ut, in cujus hæc

commemoratiōne percēpimus,
ejus muniāmur et prēcibus. Per
Dōminum.

**Pro S. Agnēte secundo
Postcommunio**

Súmpsimus, Dōmine, celebri-
tatis ánnuæ votiva sacramén-
ta: præsta, quæsumus; ut et
temporális vitæ nobis remédia
præbeant, et ætérnæ. Per Dó-
minum.

FESTA FEBRUARII

—
Die 12 Februarii

**Pro Commemoratione
S. GAUDENTII Ep. Veron.
et Conf.**

**Orationes ex Missa Státuit, de
Communi Confessoris Pontificis
1 loco.**

**Die 26 vel 27 Februarii
S. SERVULI Ep. Veron. et Conf.**

**Missa Sacerdótes tui, de Com-
muni Confess. Pontificis 2 loco.**

**Die 28 vel 29 Februarii
S. VINDEMIALIS Ep. Veron.
et Conf.**

**Missa Státuit, de Communi
Confessoris Pontificis 1 loco.**

FESTA MARTII

**Die 14 Martii
Pro Commemoratione
S. INNOCENTII Ep. Veron.
et Confessoris**

**Orationes ex Missa Sacerdótes
tui, de Communi Confessoris
Pontificis 2 loco.**

Die 20 Martii

**Beatorum
EVANGELISTÆ et PEREGRINI
Confessorum Veron.**

**Missa Confiteántur tibi, de
Communi plurium Confessorum
non Pontificum, quæ habetur in
fine Missalis, cum Orationibus
ut infra :**

**Oratio
Concéd enobis, quæsumus, Dō-
mine, beatis Evangelista et
Peregrino intercedéntibus, sub-
sidium mentis et cōporis: ut
in utróque salvati, cælestis re-
médiī plenitúdine gloriémur. Per
Dōminum.**

**Et, in Quadrag., fit Com. Feriæ
in Missis non conventionalibus,
juxta Rubricas.**

**Secreta
R**éspice, Dōmine, quæsumus,
per gloriósa mérita beató-
rum Evangelistæ et Peregrini,
nostram propitius servitútem: ut,

quod offérimus, sit tibi munus accéptum, et infirma nostri cörporis ad tui laudem sint pérpeti virtute firmáta. Per Dóminum nostrum.

Et, in Quadrag., fit Com. Feriæ, ut supra.

Postcommunio

Sumpto mystério fidei, beátis Evangelista et Peregrino intercedéntibus: da nobis, omnipotens Deus; ut, præcépta tua júgiter exsequéntes, donis mereámur cælestibus propinquáre. Per Dóminum.

Et, in Quadrag., fit Com. Feriæ, ut supra; et de ea legitur Evangelium in fine, juxta Rubricas.

Die 23 Martii

Pro Commemoratione

S. PROCULI Ep. Veron. et Conf.

Orationes ex Missa Státuit, de Communi Confessoris Pontificis 1 loco.

FESTA APRILIS

Die 7 Aprilis

S. SATURNINI Ep. Veron. et Conf.

Missa Sacerdótes tui, de Communi Confess. Pontificis 2 loco.

Die 12 Aprilis

S. ZENONIS

Episc. Veronensis et Mart. Patroni Princ. Eccl. Veronensis

Duplex I classis
cum Octava, extra Quadrag.

Introitus

Gaudeámus omnes in Dómino, diem festum celebrantes sub honore beati Zenónis Mártiris atque Pontificis: de cuius solemnité gaudent Angeli, et collaudant Filium Dei, allelúja, allelúja.

Ps. 47, 1 Magnus Dóminus et laudabilis nimis: in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus.

¶. Glória Patri.

Oratio

Deus, qui beatum Zenónem Mártirem tuum atque Pontificem cathólicæ fidei propagatorem eligere dignatus es: præsta, quæsumus; ut, ipso pro nobis interveniente, a peccatorum nostrorum máculis mundati, sincéris tibi méntibus placere mereámur. Per Dóminum.

Et, in Quadrag., fit Com. Feriæ, in Missis non conventionalibus, juxta Rubricas.

Léctio Epistolæ beati Joánnis Apóstoli. 1 Joann. 4, 8-15

Caríssimi: Deus caritas est. In hoc appáruit caritas Dei in nobis, quóniam Fílium suum

unigénitum misit Deus in mundum, ut vivámus per eum. In hoc est cáritas: non quasi nos dilexérimus Deum, sed quóniam ipse prior diléxit nos, et misit Filium suum propitiatióñem pro peccátis nostris. Caríssimi, si sic Deus diléxit nos, et nos debémus altérutrum diligere. Deum nemo vidit umquam. Si diligámus invicem, Deus in nobis manet, et cáritas ejus in nobis perfécta est. In hoc cognóscimus, quóniam in eo manémus, et ipse in nobis; quóniam de spiritu suo dedit nobis. Et nos vídimus et testificámur, quóniam Pater misit Filium suum Salvatórem mundi. Quisquis conféssus fúerit, quóniam Jesus est Filius Dei, Deus in eo manet, et ipse in Deo.

Alleluja, alleluja. ꝑ. Eccli. 48,
1 Surréxit vir Dei quasi ignis,
et verbum ipsius quasi fácula ar-
débat. Alleluja.

ꝑ. Beáte Zeno, pastor et martyris glorióse, Ecclésiae Veronénsis lumen, intercéde pro nobis ad Deum, qui te elégit. Alleluja.

Extra Tempus Paschale:

Graduale Ps. 8, 5-6 Glória et honore coronásti eum, et consti-
tuisti eum super ópera mánuum
tuárum, Dómine. ꝑ. Hic est Sa-
cérdos, quem coronávit Dóminus.

Alleluja, alleluja. ꝑ. Beáte Zeno, pastor et martyr glorióse, Ecclésiae Veronénsis lumen, in-

tercéde pro nobis ad Deum, qui te elégit. Alleluja.

A Septuages. ad totam Qua-
dragesimam:

Graduale Ps. 8, 5-6 Glória et honore coronásti eum: et consti-
tuisti eum super ópera mánuum
tuárum, Dómine. ꝑ. Hic est Sa-
cérdos, quem coronávit Dóminus.

Tractus Ps. 106, 8-9 Confi-
teántur Dómino misericórdia e-
jus; et mirabilia ejus filiis hó-
minum. Quia satiávit ánimam
inánem, et ánimam esuriéntem
satiávit bonis.

ꝑ. Ibid., 14-17 Et edúxit eos
de ténebris, et umbra mortis:
suscépit eos de via iniquitatis eó-
rum. ꝑ. Beáte Zeno, pastor et
martyr glorióse, intercéde pro
nobis ad Deum, qui te elégit.

 Sequéntia sancti Evangélii
secúndum Joánnem.

Joann. 15, 1-7

In illo témpore: Dixit Jesus
discipulis suis: Ego sum vitis
vera: et Pater meus agricola est.
Omnem pálmitem in me non fe-
réntem fructum, tollet eum: et
omnem, qui fert fructum, purgá-
bit eum, ut fructum plus áfferat.
Jam vos mundi estis propter ser-
móinem, quem locútus sum vo-
bis. Manéte in me: et ego in vo-
bis. Sicut palmes non potest ferre
fructum a semetipso, nisi man-
serit in vite: sic nec vos, nisi in
me manseritis. Ego sum vitis,

vos pálmites: qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere. Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, et aréscet, et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet. Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint: quodcumque volueritis, petetis, et fiet vobis.

Credo.

Offertorium Ps. 5, 11-12 Gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum, quóniam tu benedices justo: Dómine, ut scuto bonae voluntatis tuæ coronasti eum, allelúja.

Secreta

Obláta, quæsumus, Dómine, dona sanctifica: et corda nostra illo igne tuæ caritatis inflamma; quem in populo suo sanctus tuus Martyr et Póntifex Zeno curávit accéndere. Per Dóminum nostrum.

Et, in Quadrag., fit Commemoratio Feriæ, ut supra.

Communio Joann. 15, 16 Ego vos elégi de mundo, ut eátis et fructum afferátis et fructus vester máneat, allelúja.

Postcommunio

Sacris munéribus recreáti te, Dómine, súpplices deprecámur: ut beáti Zenónis Mártiris atque Pontificis hortaménta se-

ctándo, ad vitam perveniámus ætérnam. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ, ut supra; et de ea legitur Evangelium in fine, juxta Rubricas.

Per Octavam, dicitur Missa ut in die Festo, sed infra Octav., quando facienda non sit Com. Festi Simplicis, dicitur secunda Oratio de S. Maria Concéde, tertia Ecclésiæ, vel pro Papa.

Dicitur Credo, et Præf. Paschalis.

Die 19 Aprilis
Extra Quadragesimam
In Octava

S. ZENONIS Ep. et Mart.

Missa ut in die Festo.

Die 23 Aprilis
In Ecclesia Cathedrali
S. GEORGII Mart.

Patroni Capituli Canonicorum

Missa ut in Propr. Ss. Univ. Eccl. hac ipsa die. Et dicitur Credo.

Die 26 Aprilis
Pro Commemoratione
S. LUCIDII Ep. Veron. et Conf.
Orationes ex Missa Státuit, de Communi Confessoris Pontificis 1 loco.

FESTA MAJI

Die 5 Maji

Pro Commemoratione
S. TEUTERIÆ Virg. Veron.

Orationes ex Missa Dilexisti,
de Communi Virginum 3 loco.

Die 11 Maji

Ss. GUALFARDI et METRONIS
Confessorum Veron.

Missa Confiteántur tibi, de
Communi plurium Confessorum
non Pontificum, quæ habetur in
fine Missalis, præter Orationem
sequentem.

Oratio

Spíritum nobis, Dómine, pœ-
niténtiæ et caritatis benígnus
infunde: quo sancti Confessóres
tui Gualfárdus et Metro mirabí-
liter imbúti, quæ sursum sunt,
non quæ super terram, nos quæ-
rere docuérunt. Per Dóminum.

Secreta

Múnera, Dómine, oblata san-
ctifica: et, intercedéntibus
beátis Gualfárdo et Metróne Con-
fessóribus tuis, nos per hæc a
peccatórum nostrórum máculis
emúnda. Per Dóminum.

Postcommunio

Súpplices te rogámus, omni-
potens Deus: ut, quos tuis
réficiis sacraméntis; intercedén-
tibus beátis Gualfárdo et Metróne

Confessóribus tuis, tibi étiam
plácitis móribus dignánter tri-
buas deservíre. Per Dóminum.

Die 15 Maji

Pro Commemoratione
S. DIMIDRIANI Ep. Veron.
et Conf.

Orationes ex Missa Sacerdótes
tui, de Comm. Conf. Pont. 2 loco.

Die 21 Maji

In Translatione
S. ZENONIS Ep. Ver. et Mart.

Introitus Ps. 144, 10, 12

Sancti tui, Dómine, benedi-
cent te, ut notam fácient
filiis hóminum poténtiam tuam,
et glóriam magnítudinis decórís
regni tui. (Temp. Pasch. Allelúa,
allelúa).

Ps. ibid., 1 Exaltábo te, Deus
meus rex, et benedicam nomen
tuum in sǽculum et in sǽculum
sæculi.

y. Glória Patri.

Oratio

Venerábilem diem Translati-
onis sancti Mártiris et Epi-
scopi Zenónis devóte celebrán-
tes: cleméntiam tuam, Dómine,
humiliter deprecámur; ut, ejus
adjúti suffrágiis, mundi hujus
blandiménta vitare, et beátæ re-
surrectionis grátiam cónsequi va-
leámus. Per Dóminum.

Léctio Epistolæ beati Pauli Apóstoli ad Corinthios.

1 Cor. 15, 39-50

Fratres: Non omnis caro éadem caro: sed ália quidem hóminum, ália vero pécorum, ália vólucrum, ália piscium. Et córpora cælestia, et córpora terréstria: sed ália quidem cælestium glória, ália autem terréstrium. Alia cláritas solis, ália cláritas lunæ, et ália cláritas stellárum. Stella enim a stella differt in clarité: sic et resurréctio mortuórum. Seminátur in corruptione, surget in incorruptione. Seminátur in ignobilitate, surget in glória. Seminátur in infirmitate, surget in virtute. Seminátur corpus animále, surget corpus spiritále. Si est corpus animále, est et spiritále, sicut scriptum est: factus est primus homo Adam in ánimam vivéntem, qovíssimus Adam in spíritum vivificántem. Sed non prius quod spiritále est, sed quod animále: deinde quod spiritále. Primus homo de terra, terrénus: secúndus homo de cælo, cælestis. Qualis terrénus, tales et terréni: et qualis cælestis, tales et cælestes. Igitur, sicut portávimus imáginem terréni, portémus et imáginem cælestis. Hoc autem dico, fratres; quia caro et sanguis regnum Dei possidére non possunt, neque corruptio incorruptélam possidébit.

Graduale Prov. 11, 28 et 12, 3
Justi quasi virens fólium germi-nábunt: radix eórum non commo-vébitur. ¶ Eccl. 44, 1-7 Laudé-mus virum gloriósū Paréntem nostrum, qui in generatióibus gentis suæ glóriam adéptus est et habétur in láudibus.

Alleluja, alleluja. ¶ Eccl. 39, 13-14 Non recédet memória ejus, et nomen ejus requirétur a genera-tiōne in genera-tiōnem. Sapién-tiam ejus enarrábunt gentes, et laudem ejus enuntiábit Ecclésia. Alleluja.

Temp. Paschali:

Alleluja, alleluja. ¶ Ps. 117, 15-17 Vox exsultatiónis et sa-lutis in tabernáculis justórum. Déxtera Dómini fecit virtátem. Alleluja. ¶ Déxtera Dómini exal-távit me. Non móriar sed vivam; et narrábo ópera Dómini. Alle-luja.

 **Sequentia sancti Evangélii secúndum Joánnem.**

Joann. 6, 40-47
In illo témpore: Dixit Jesus turbis Judæórum: Hæc est volúntas Patris mei qui misit me, ut omnis qui videt Fílium, et cre-dit in eum, hábeat vitam æter-nam, et ego resuscítabo eum in novíssimo die. Murmurábant ergo Judæi de illo, quia dixisset: Ego sum panis vivus qui de cælo de-scéndi, et dicébant: Nonne hic est Jesus filius Joseph, cujus nos

nóvimus patrem et matrem? Quómodo ergo dicit hic: Quia de cælo descéndi? Respóndit ergo Jesus et dixit eis: Nolite murmuráre in ínicem: nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me tráxerit eum: et ego resuscitábo eum in novíssimo die. Est scriptum in Prophétis: Et erunt omnes docíbiles Dei. Omnis qui audívit a Patre et dídicit, ve-nit ad me. Non quia Patrem vidi quisquam, nisi is qui est a Deo, hic vidi Patrem. Amen, amen dico vobis: qui credit in me ha-bet vitam ætérnam.

Credo.

Offertorium Ps. 91, 12-13 et 2
Justus ut palma florébit: sicut cedrus Libani multiplicábitur in domo Dómini: ad annuntiánum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem. (T. P. Allelúja).

Secreta

Hóstias tibi, Dómine, beáti Zenónis Mártyris tui atque Pontíficis dicátas méritis, benígnus assúme: et ad perpétuum nobis tribue provenire subsídium. Per Dóminum.

Communio Ps. 50, 9 Audítui meo, Dómine, dabis gáudium et lætitiam, et exsultábunt ossa humiliáta. (Temp. Pasch. Allelúja).

Postcommunio

Refécti participatióne múnéris sacri, quæsumus, Dómine,

Deus noster: ut, cujus exséquimur cultum, intercedénte beáto Zenóne Mártyre tuo atque Pontífice, sentiámus efféctum. Per Dóminum.

Die 22 Maji

S. LUPICINI Ep. Veron. et Conf.

Missa Státuit, de Comm. Confessoris Pontificis 1 loco.

Die 23 Maji

S. ANNONIS Ep. Veron. et Conf.

Missa Sacerdótes tui, de Communi Confess. Pontificis 2 loco.

Die 29 Maji

Pro Commemoratione

S. MAXIMI Ep. Veron. et Conf.

Orationes ex Missa Státuit, de Communi Confessoris Pontificis 1 loco.

FESTA JUNII

—
Die 4 Junii

Pro Commemoratione

S. ALEXANDRI Ep. Veron. et Conf.

Orationes ex Missa Sacerdótes tui, de Communi Confess. Pontificis 2 loco.

Die 6 Junii

Pro Commemoratione

S. JOANNIS Ep. Veron. et Conf.

Orationes ex Missa Sacerdótes
tui, de Communi Confessoris
Pontificis 2 loco.

Die 22 Junii

Pro Commemoratione

S. BLASII Ep. Veron. et Conf.

Orationes ex Missa Sacerdótes
tui, de Communi Confessoris
Pontificis 2 loco.

FESTA JULII

—
Die 10 Julii

Pro Commemoratione

S. TUSCÆ Virg. Veron.

Orat. ex Missa Vultum tuum,
de Communi Virginum 4 loco.

Die 14 Julii

S. TUSCANÆ Vid. Veron.

Introitus Ps. 118, 75 et 120

Cognóvi, Dómine, quia aequi-
tas judicia tua, et in veritáte
tua humiliásti me: confige timóre
tuo carnes meas, a mandátis tuis
timui. Ps. ibid., 1 Beáti imma-
culáti in via: qui ámbulant in
lege Dómini. y. Glória Patri.

Oratio

Deus, sanctæ pietatis amátor
et custos, qui beatam Tu-
scánam ab impiórum insidiis mi-
sericórditer præservásti: con-
céde; ut ejus méritis et inter-
cessióne, tibi pura mente inhæ-
réntes, ab ómnibus ánime et
córporis periculis liberémur. Per
Dóminum.

Et fit Com. S. Bonaventuræ
Ep., Conf. et Eccl. Doct. (Duplex).

Oratio

Deus, qui populo tuo aetérnæ
salutis beatum Bonaventú-
ram ministrum tribuisti: præsta,
quæsumus; ut, quem Doctórem
vitæ habuimus in terris, inter-
cessórem habére mereámur in
cælis. Per Dóminum.

Léctio Epistolæ beati Pauli Apó-
stoli ad Timótheum.

1 Tim. 5, 8-10

Caríssime: Víduas honóra, quæ
vere víduæ sunt. Si qua au-
tem vídua filios, aut nepotes ha-
bet, discat primum domum suam
régere, et mütuam vicem réd-
dere paréntibus: hoc enim ac-
céptum est coram Deo. Quæ
autem vere vídua est, et desoláta,
speret in Deum, et instet obse-
cratióibus et oratióibus nocte,
ac die. Nam quæ in delíciis est,
vivens mórtua est. Et hoc præ-
cipe, ut irreprehensibiles sint.
Si quis autem suórum, et má-
xime domesticórum curam non

habet, fidem negavit, et est infideli deterior. Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quae fuerit unius viri uxor, in operibus bonis testimonium habens, si filios educavit, si hospitio recipit, si sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus subministravit, si omne opus bonum subsecuta est.

Graduale Ps. 44, 3 Diffusa est gratia in labiis tuis: propterea benedixit te Deus in aeternum. **y. Ibid., 5** Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam: et deducet te mirabiliter de dextera tua.

Alleluja, alleluja. **y. Ibid., 5** Spécie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna. Alleluja.

 Sequentia sancti Evangeli secundum Matthaeum.

Matth. 13, 44-52

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum celorum thesauro abscondito in agro: quem qui invenerit homo, abscondit, et pro gaudio illius vadit, et vendit universa, quae habet, et emit agrum illum. Iterum simile est regnum celorum homini negotiatori, querenti bonas margaritas. Inventa autem una pretiosa margarita, abiit, et vendidit omnia, quae habuit, et emit eam. Iterum simile est regnum celorum sagena missae in mare, et

ex omni genere piscium congreganti. Quam, cum impleta esset, educentes, et secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt. Sic erit in consummatione saeculi: exhibunt Angeli, et separabunt malos de medio justorum, et mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus, et stridor dentium. Intellexistis haec omnia? Dicunt ei: Etiam. Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno celorum similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera.

Dicitur Credo ratione sancti Doctoris commemorati.

Offertorium Ps. 44, 3 Diffusa est gratia in labiis tuis: propterea benedixit te Deus in aeternum, et in saeculum saeculi.

Secreta

Accpta tibi sit, Domine, sacramentæ plebis oblatione, pro tuorum honore sanctorum: quorum semper meritis, de tribulatione perceperisse cognoscit auxilium. Per Dominum.

Pro S. Bonaventura Secreta
Sancti Bonaventuræ Confessoris tui atque Pontificis, quæsumus, Domine, annua solennitas pietati tue nos reddat acceptos: ut, per haec piæ placationis officia, et illum beata retributio comittetur, et nobis gratiæ tue dona conciliet. Per Dominum.

Communio Ps. 44, 8 Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætitiae præ consortibus tuis.

Postcommunio

Satiásti, Dómine, familiam tuam munéribus sacris: ejus, quæsumus, semper interventione nos résove, cuius solémnia celebrámus. Per Dóminum.

Pro S. Bonaventura

Postcommunio

Deus, fidélium remunerátor animarum: præsta; ut, beati Bonaventuræ Confessoris tui atque Pontificis, cuius venerandam celebrámus festivitatem, préci- bus indulgentiam consequámur. Per Dóminum.

Die 15 Julii

SANCTISSIMI REDEMPTORIS

Missa Gaudens gaudébo in Dómino, quæ habetur inter Missas pro aliquibus locis.

Et fit Com. S. Henrici Imperatoris Conf. (Semid.) ut in Proprio Ss. Univ. Eccl. hac ipsa die.

Die 19 Julii

Pro Commemoratione

S. FELICIS Ep. Veron. et Conf.

Orationes ex Missa Státuit, de Communi Confessoris Pontificis 1 loco.

Die 26 Julii

In Missis privatis pro Commemor.

S. VALENTIS

Ep. Veron. et Conf.

Orationes ex Missa Sacerdótes tui, de Comm. Conf. Pont. 2 loco.

FESTA AUGUSTI

—
Die 1 Augusti

Pro Commemoratione

S. MARIAE CONSOLATRICIS

Virg. Veron.

(post Com. S. Pauli)

Orationes ex Missa Dilexisti, de Communi Virginum 3 loco; et in prima Oratione dicitur: Maríæ Consolatricis.

Die 4 Augusti

Pro Commemoratione

S. AGABII Ep. Veron. et Conf.

Orationes ex Missa Státuit, de Communi Conf. Pont. 1 loco.

Die 9 Augusti

Ss. FIRMI et RUSTICI

Mm. Veron.

Missa Sapiéntiam, de Comm. plurimor. Martyrum 2 loco.

Et fit Com. Vigiliæ S. Laurentii, de qua legitur Evang. in fine.

Deinde Com. S. Romani Mart. ut in Propr. Ss. Univ. Eccl. hac ipsa die.

Die 11 Augusti

S. JO. BAPT. MARIÆ VIANNEY

Conf.

(ass. ex die 9 huius)

Missa Os justi, de Communi
 Conf. non Pont. præter primam
 Orationem propriam, ut in Mis-
 sali die 9 Augusti.

Et fit Commem. Ss. Tiburtii
 et Susannæ Virg., Mm., ut in
 Missali, hac die.

Die 15 Augusti

IN ASSUMPTIONE

BEATÆ MARIÆ VIRGINIS

Titularis Ecclesiæ Cathedralis

Missa ut in Propr. Ss. Univ.
 Eccl. hac ipsa die.

Die 16 Augusti

In Missis privatis
 pro Com. S. ROCHI Conf.

Oratio

Pópulum tuum, quæsumus,
 Dómine, continua pietate
 custodi: et, beati Rochi suffra-
 gántibus méritis, ab omni fac-
 animæ et cörperis contagione se-
 cùrum. Per Dóminum.

Secreta

Præsta nobis, quæsumus, om-
 nípotens Deus: ut nostræ
 humilitatis oblátio, et pro tuórum
 tibi grata sit honore Sanctórum,
 et nos cörpore páriter et mente
 purificet. Per Dóminum.

Postcommunio

Quæsumus, omnipotens Deus:
 Ut, qui cælestia aliménta
 percépimus, intercedénte beato
 Rocho Confessore tuo, per hæc
 contra ómnia advérsa muniámur.
 Per Dóminum.

Sicubi dicenda fuerit Missa de
 S. Rocho, hæc erit Justus ut pal-
 ma, de Comm. Confessoris non
 Pontificis 2 loco, præter primam
 Orationem, quæ dicitur ut supra.

Die 18 Augusti

In Ecclesia Cathedrali

S. HELENÆ IMPERATRICIS

Viduae

Missa Mihi autem absit gloriari,
 quæ habetur inter Missas pro
 aliquibus locis hac ipsa die.

Et non fit Com. Oct. Assum-
 ptionis nec S. Agapiti Mart.

Dicitur Credo, et Praef. de B.
 M. V. Et te in Assumptiōne.

Die 21 Augusti

S. EUPREPII Ep. Veron.
 et Confessoris

Introitus Eccli. 45, 30

Státuit ei Dóminus testamén-
 tum pacis: et principem fe-
 cit eum: ut sit illi sacerdóti dí-
 gnitas in æténum. Ps. 131, 1
 Meménto, Dómine, David: et
 omnis mansuetudinis ejus. y.
 Glória Patri.

Oratio

Da, quæsumus, omnipotens Deus: ut beati Euprépii Confessoris tui atque Pontificis veneranda solémnitas, et devotíonem nobis áugeat, et salútem. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Ioannæ Franciscæ Viduæ (Duplex).

Oratio

Omnipotens et misericors Deus, qui beatam Joánnam Franciscam tuo amore succénsam, admirabili spiritus fortitudine per omnes vitæ sémitas in via perfectionis donásti, qui que per illam illustrare Ecclésiam tuam nova prole voluisti: ejus méritis et præcibus concéde; ut, qui infirmitatis nostræ cónscii de tua virtute confidimus, cælestis gratiæ auxilio cuncta nobis adversántia vincámus. (Per Dóminum nostrum).

Deinde Com. Octavæ Assumptionis B. M. V.

Oratio

Famulorum tuorum, quæsumus, Dómine, delictis ignoscere: ut, qui tibi placere de actibus nostris non valémus; Genitricis Filii tui Dómini nostri intercessione salvémur: Qui tecum vivit et regnat.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Ecli. 44, 16-27 et 45, 3-20

Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo, et

invéntus est justus: et in tempore iracundiæ factus est reconciliatio. Non est invéntus similis illi, qui conservávit legem Excélsi. Ideo jurejurando fecit illum Dóminus créscere in plebem suam. Benedictiōnem ómnium géntium dedit illi, et testaméntum suum confirmávit super caput ejus. Agnóvit eum in benedictiōnibus suis: conservávit illi misericordiam suam: et invénit grátiam coram oculis Dómini. Magnificávit eum in conspéctu regum: et dedit illi corónam gloriæ. Státtuit illi testaméntum ætérnum, et dedit illi sacerdótium magnum: et beatificávit illum in glória. Fungi sacerdótio, et habére laudem in nōmine ipsius, et offérre illi incénsum dignum in odórem suavitatis.

Graduale Ecli. 44, 16 Ecce sacérdos magnus, qui in diébus sui plácuit Deo. y. Ibid., 20 Non est invéntus similis illi, qui conserváret legem Excélsi.

Allelúja, allelúja. y. Ps. 109, 4 Tu es sacérdos in ætérnum, secundum órdinem Melchisedech. Allelúja.

 Sequéntia sancti Evangélii secundum Matthæum.

Matth. 25, 14-23

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Homo peregre proficisciens, vocávit servos suos, et trádidit illis

bona sua. Et uni dedit quinque talénta, álii autem duo, álii vero unum, unicuique secúndum própriam virtútem, et profécetus est statim. Abiit autem qui quinque talénta accéperat, et operátus est in eis, et lucrátus est ália quinque. Similiter et qui duo accéperat, lucrátus est ália duo. Qui autem unum accéperat, ábiens fodit in terram, et abscóndit pecúniam dómini sui. Post multum vero témporis vénit dóminus servórum illórum, et pósuit rationem cum eis. Et accédens qui quinque talénta accéperat, óbtulit ália quinque talénta, dicens: Dómine, quinque talénta tradi-
disti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum. Ait illi dóminus ejus: Euge serve bone, et fidélis, quia super pauca fuisti fidélis, super multa te consti-
tuam: intra in gáudium dómini tui. Accéssit autem et qui duo talénta accéperat, et ait: Dómine, duo talénta tradi-
stí mihi, ecce ália duo lucrátus sum. Ait illi dóminus ejus: Euge serve bone, et fidélis, quia super pauca fuisti fidélis, super multa te consti-
tuam: intra in gáudium dómini tui.

Dicitur Credo ratione Octavæ Assumptionis B. M. V.

Offertorium Ps. 88, 21-22 In-
véni David servum meum, óleo
sancto méo unxi eum: manus

enim mea auxiliábitur ei, et brá-
chium meum confortábit eum.

Secreta

Sancti tui, quæsumus, Dómine,
nos ubique lètificent: ut,
dum eórum mérita recólimus, pa-
trocinia sentiámus. Per Dómi-
num nostrum.

Pro S. Joanna Francisca
Secreta

Illo nos amóris igne, quæsumus,
Dómine, hæc hóstia salutáris inflámmet: quo beátæ Joánnæ Franciscæ cor vehémenter in-
céndit, et flammis adússit aetérnæ caritatis. (Per Dóminum).

Pro Octava Assumptionis
Secreta

Subvéniat, Dómine, plebi tuæ
Dei Genitricis oráti: quam etsi pro conditióne carnis mi-
grasse cognóscimus, in cœlesti glória apud te pro nobis inter-
cédere sentiámus. Per eúmdem Dóminum.

Præfatio de B. Maria V. Et te
in Assumptiōne.

Communio Luc. 12, 42 Fidé-
lis servus et prudens, quem con-
stituit dóminus super familiam suam: ut det illis in témpore trí-
tici mensúram.

Postcommunio

Præsta, quæsumus, omni-
potens Deus: ut, de percéptis munéribus grátias exhibéntes,
intercedénte beáto Euprépio Con-
fessóre tuo atque Pontifice, be-

neficia potiora sumamus. Per Dóminum.

Pro S. Joanna Francisca
Postcommunio

Spíritum nobis, Dómine, tuæ caritatis infunde: ut, quos cælestis panis virtute satiasti, beata Joánnna Francisca intercedente, fárias terréna despícere, et te solum Deum pura mente sectári. (Per Dóminum... in unitate ejusdem).

Prò Octava Assumptionis
Postcommunio

Mensæ cælestis participes effeci, implorámus cleméntiam tuam, Dómine Deus noster: ut, qui Assumptiónem Dei Genitricis cólimus, a cunctis malis imminéntibus, ejus intercessione liberémur. Per eúmdem Dóminum.

Die 23 Augusti

Pro Commemoratione
S. MODERATI Ep. Veron.
et Conf.

Orationes ex Missa Sacerdótes
tui, de Comm. Conf. Pont. 2 loco.

FESTA SEPTEMBRIS

Die 3 Septembris

S. MANII Ep. Veron. et Conf.

Missá Státuit, de Comm. Con-
fessoris Pontificis 1 loco.

Die 6 Septembbris
S. PETRONII Ep. Veron.
et Conf.

Missa Sacerdótes tui, de Communi Conf. Pontificis 2 loco.

Die 12 Septembbris

Pro Commemoratione
S. SILVINI Ep. Veron. et Conf.
Orationes ex Missa Státuit, de Communi Conf. Pont. 1 loco.

Die 13 Septembbris

IN DEDICATIONE
ECCLESIÆ CATHEDRALIS

Missa Terribilis est locus, de Comm. Dedicationis Ecclesiæ.

Infra Octavam singulis diebus (excepto Festo Septem Dolorum B. M. V., die 13 hujus) de ea fit Com. ante Commemorationem Festi Simplicis occurrentis.

Die 19 Septembbris

Pro Commemoratione
S. THEODORI Episc. Veron.
et Conf.

post Com. Oct. Dedicationis
Eccles. Cathedr.

Orationes ex Missa Sacerdótes
tui, de Comm. Conf. Pont. 2 loco.

Die 20 Septembbris

In Octava
DEDICATIONIS ECCLESIÆ
CATHEDRALIS

Missá Státuit, de Comm. Dedicationis Ecclesiæ.

Et fit Com. Ss. Eustachii et Socior. Mm. (Duplex) cum Orationibus quæ habentur in Proprio Ss. Univ. Eccl. hæc ipsa die.

Deinde, in Feriis Quatuor Temporum, Com. Feriæ.

Postea Com. Vigil. S. Matthæi. Credo.

In fine Missæ, in Feriis Quatuor Temporum, legitur Evang. Feriæ: alias, Evang. Vigiliæ.

FESTA OCTOBRIS

Die 10 Octobris

Pro Commemoratione
S. CERBONII Ep. Veron. et Conf.

Orationes ex Missa Státuit, de Communi Conf. Pont. 1 loco.

Die 11 Octobris

S. PLACIDIÆ Virg. Veron.

Missa Vultum tuum, de Communi Virginum 4 loco.

Evang. Simile est regnum cælorum thesáuro ex Missa Cognóvi, de Communi non Virg. 2 loco.

Die 12 Octobris

S. SALVINI Ep. Veron. et Conf.

Missa Sacerdótes tui, de Communi Confess. Pontificis 2 loco.

Die 16 Octobris

Ss. BENIGNI et CARI
Confessorum Veron.

Missa Confitéantur tibi, de Communi plurium Confessorum

non Pontificum, quæ habetur in fine Missalis, præter Orationem sequentem.

Oratio

Deus, qui humilia respicis, et alta a longe cognoscis: concéde nos, exemplo beatorum Benigni et Cari Confessorum; quæ humilia sunt vere sectari, et alta hujus mundi ex ánimo despícere. Per Dóminum.

Secreta

Hóstias ad altare tuum offérantibus, Dómine, da nobis illum pietatis afféctum, quem beátis Benigno et Caro Confessóribus tuis infudisti: ut puramente ac férvido corde rei sacræ attendámus, et sacrificium tibi plácitum nobisque proficuum immolémus. Per Dóminum.

Postcommunio

Tribuat nobis, omnipotens Deus, suffragántibus beatorum Benigni et Cari Confessorum tuorum præcibus, reféctio sacra subsídium: ut et castitatis munditiam observémus in corpore, et lumen veritatis exhibéamus in opere. Per Dóminum nostrum.

Die 22 Octobris

S. VERECUNDI Ep. Veron.
et Conf.

Missa Státuit, de Communi Confessoris Pontificis 1 loco.

Die 23 Octobris
 In Ecclesiis consecratis
 excepta Cathedrali
IN DEDICATIONE
PROPRIÆ ECCLESIÆ

Missa Terribilis est locus, de Communi Dedicationis Ecclesiæ.

Per Octavam dicitur Missa ut in die Festo; sed infra Octavam, quando non fit Com. Festi simplicis, dicitur secunda Oratio de S. Maria Concède, tertia Ecclésiæ, vel pro Papa.

Et dicitur Credo.

Eadem die 23 Octobris
 In Ecclesia Cathedrali
 In Dedicatione
 Eccl. S. GEORGII IN DOMO
 Missa Terribilis, de Communi Dedicationis Ecclesiæ.

Die 30 Octobris
 In Ecclesiis consecratis
 excepta Cathedrali
 In Octava
DEDICAT. PROPR. ECCLESIÆ

Missa Terribilis, de Communi Dedicationis Ecclesiæ.

Si hodie fuerit Sabbatum, fit Com. Vigiliæ anticip. Omnium Sanctorum, ut in Missali sequ. die: et de ea legitur Evangelium in fine.

Die 31 Octobris
 Pro Commemoratione
 S. LUCILLI Ep. Veron. et Conf.
 Orationes ex Missa Sacerdótes tui, de Comm. Conf. Pont. 2 loco.

FESTA NOVEMBRIS

—
 Die 14 Novembris
 Pro Commemoratione
 S. ANDRONICI Ep. Veron.
 et Conf.

Orationes ex Missa Státuit, de Communi Confess. Pont. 1 loco.

Die 15 Novembris
 Pro Commemoratione
 S. LUPERII Ep. Veron. et Conf.
 Orationes ex Missa Sacerdótes tui, de Comm. Conf. Pont. 2 loco.

Die 20 Novembris
 Pro Commemoratione
 S. SIMPLICII Ep. Veron. et Conf.
 Orationes ex Missa Státuit, de Communi Confess. Pont. 1 loco.

Die 21 Novembris
 Pro Commemoratione
 S. MAURI Ep. Veron. et Conf.
 Orationes ex Missa Sacerdótes tui, de Comm. Conf. Pont. 2 loco.

APPROBATIO

Vixum, concordat cum exemplari authentico.

Verona, a Ouria Episcopali 27 Novembris 1934.

Imprimatur

Can. J. MANZINI, Vic. Gen.

Nota. --- Juxta rationes cum Eminentissimo Cardinale collatis,
jus proprietatis vindicabitur.

TAURINORUM AUGUSTAE

Douce Editorialis MARIETTI anno 1820 condita

nunc MAHIL E. MARIETTI

Sanctae Sedis Apostolicas, et S. RR. Congregationis necon Archiepiscopi Taurinensis Typogr.